

759-
No. 1032.
1776, 52.
DE
DAMNATA MEMORIA

DISSERTATIO SECUNDA

QVAM

CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM COLLEGII

PRAE SIDE

CHRISTOPHORO FRIDERICO

W O L L E

LEGVM AC PHILOSOPHIAE DOCTORE

A. D. XIX. SEPT. MDCCCLXXVI,

IN AVDITORIO ICTORVM

DEFENDET

CHRISTIANVS LVDOVICVS STIEGLITZ

LIPSIENSIS

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA

DAMASCUS

DAMASCUS

DAMASCUS

DAMASCUS

DAMASCUS


DAMASCUS

DAMASCUS

VIRO MAGNIFICO
ATQVE
SVMMEREVERENDO
**IOHANNI AVGUSTO
ERNESTI,**

DYNASTAE IN KAHNSDORF ET BIERSTEN S. THEOLOGIAE
DOCTORI ET IN ACADEMIA LIPSIENSI PROFESSORI
PRIMARIO EIVSQVE DECEMVIRO ORDINIS THEOLOGICI
ET NATIONIS MISNICAЕ SENIORI ECCLESIAE
CATHEDRALIS MISENENSIS CAPITVLARI CONSISTORII
LIPSIENSIS ASSESSORI ALVMNORVM ELECTORALIVM
EPHORO VILLARVM ACADEMICARVM NOVARVM PRAEFECTO
GOTTINGENSIS INSTITVTI HISTORICI SODALI
AC IABLONOVIANAE SOCIETATIS
LITTERARIAE PRAESIDI

PATRONO ATQVE PRAECEPTORI
PIE DEVENERANDO.



VIR MAGNIFICE
ATQVE
SVMME REVERENDE
PATRONE OPTIME

¶ Ut TIBI, VIR MAGNIFICE ATQVE
SVMME REVERENDE, aut nemini
erat inscribenda haec a me defen-
denda more maiorum dissertatio. Cum enim
non modo ad institutionis TVAE priuatae vber-
tatem aditum mihi humanissime aperueris,
in cuius felicitatis societatem venerunt
et alii, sed etiam, suscepto tutelae onere,
consiliorum me prudentia indulgentissime
rexeris, commendationisque grauitate fir-
missime iuueris, totum me TIBI deuinctum
teneri, ingenue profiteor. TE autem hoc
pie-

pietatis erga TE meae publice demon-
strandæ consilium non esse inique latu-
rum, sed beneuole illud interpretaturum, spe-
rare me iubebat beneuolentiae erga me TVAE
magnitudo. Cuius beneuolentiae honore ac
dulcedine ut et imposterum fruar, ne in me-
ritis TVIS praeclaris reuerenter colendis, vo-
tis pro salute TVA vitaeque longitudine pie-
nuncupandis, atque, qua re TV in primis so-
les, quae est animi TVI egregia virtus, dele-
ctari, litteris diligenter tractandis, ulli con-
cedam cupidissime allaborabo.

NOMINIS TVI MAGNIFICI

obseruantissimus cultor

CHRISTIANVS LUDOVICVS STIEGLITZ



Iuuat nunc recente nobis a fortunae benignitate comite oblato, felicibus utinam auspiciis pergere in ea quam nuper ingressi sumus via, eo quidem alacrius, quo laetiore illa omnem, si qua in ea peragranda sentiatur, laboris molestiam amoenitatem compensat. Atque nisi suu iam sponte ad illam adhaesisset animus, virorum doctorum de conatu nostro qualicunque iudicii aequitate, multisque multorum ad pergendum, quantum pateretur virium imbecillitas, adhortationibus ad illam fuisse profecto per huius comitatus opportunitatem reductus. Cum autem nuper priore in libello enumeratis variis apud varios populos in-

pri-



primisque Romanos damnationis memoriae fatis vicissitudinibusque, ipsa, quibus singulis ista temporibus prodere sese consuevit, signa seorsum monstrare coeperimus, ut prius, quam mortuam quasi oblitteratamque memoriam resuscitatam legumlatorum indulgentia renouatamque producamus, ne quis omittendo nos peccasse iure iactare posse videatur, reliqua adhuc talia signa ob chartae nuper angustiam a nobis omissa eodem modo subinde velut spectanda proponamus, admonet instituti ratio. Cui nostro consilio, exhibita equ in eo exequendo diligentiae, si lectorum peritorum aequitatem imbecillitatis humanae memorem, aequem fauere intellexerimus, impense lactandi occasionem naestos nos esse existimabimus.

CAPVT VI.

De Iure Sepulchrorum filii perduellium ademto.

§. I.

Illum autem, in quo superiore in scriptione substitimus, de sepultura luctuque ^{*)} iis quorum esset damnata memoria denegato, locum, proxime cum attingat ille de sepulchrorum iure ipsis eorum filii ademto, eo diligentius animaduertendus, quo pauciores illum viros doctos in commentariis suis percurrisse videoas, ut ad hunc initio statim huius libelli progrediamur, ordo ipse suadere viderur. Sepulchorum quidem omnino religione vel maxime, si qua alia

a) De more quem attigimus ibi, hostium ac perduellium corpora ad gradus scalasque gemonias proiecta in profluentem unicus pertrahendi praeter laudatos confi, in primis adhuc PETER. FABER. *Semeſtr. Lib. II. Cap. 9.*

alia re, omnem ad posteritatem propagandam curasse memoria-
m veteres omnes in primis que quorum de iure dispu-
camus, Romanos tam clare cognoscitur, longius ut hic
commorari superfluum videatur. Hoc enim consilio du-
ci non modo in sepulchris ipsis magnifice exstrendis
quasi sunt argutati, sed etiam statuarum ea nitore, orna-
mentorumque laudes suas praecipuas viatoribus occinen-
tium pulchritudine decoranda, quid? Quod custodes iis
fidos qui ibi sedarent, conuuiisque parandis ac floribus
spargendis, memoriam eorum quam saepissime recolerent
apponendos existimarentur. In primis tamen in aliis sanguini-
nis praesertim vinculo secum coniunctis, in quibus ipsi quo-
dammodo quasi vixerint, ad splendidae huius post mor-
tem habitationis, societatem admittendis, eundem sibi il-
los conseruandas instaurandaque continuo memoriae fi-
nem proposuisse intelligitur. Quare etiam quorum damnata
esset memoria, ut hanc suam libidinem plane delusam
isti cernerent, neque posterorum manibus illa eorum in
animis hominum excitaretur recordatio, non modo eos
ipsos verum et filios eorum ab his sepulchorum finibus
arcendos decreuerunt leges romanae, quas prius quam ex-
plicemus, ut de natura sepulchrorum in vniuersum vario-
que eorum iure quantum hic spectat exponamus, flagitat
necessitas.

Ac in illis quidem publico apud Romanos sumtu ae-
dificatis hominibusque quibusdam assignatis sepulchris lon-
gius hic hand subsistendum videtur. Viris dignitate meri-
tisque illustribus tanquam amplissimum praemium in publi-
cis sepulchris habitationem auctoritate senatus fuisse decre-

11

tam, iam ex CICERONE 9. Philipp. eluet vbi dicit; maiores nostri statuas multis decreuerunt, sepulchra paucis. Quae publica virorum praefrantium sepulchra in Campo in primis Martio auctore STRABONE L. 5. vbi Sullam, Agrippam, Drusum alios sepultos fuisse constat, in Esquilinoque Campo auctore Cicerone l. l. fuisse videntur. Neque in prouinciis praclaris viris sepulchrorum publicorum honorem inuidit decurionum aequitas, vt variae docent inscriptiones Conf. KIRCHMANN de funer. p. 295. Praeterea et pauperes viliaque mancipia in publicis sepulchris non procul ab urbe extra portam sitis, permittentibus id Romanis misericordia commotis habitasse legimus. Aggenus quidem Urbicus ad Frontinum de limit: agr. p. 60. Sunt inquit in suburbanis loca publica in opum destinata funeribus quae loca culinae appellant. Atque eadem loca a VARENDELE puticuli vocantur a puteis fossis, monente id Acrone ad HORATII Serm. Lib. 1. Sat. 8.

§. III.

Sed cum de ademto filiis sepulchrorum iure differere animus sit, vehementerque omnino abhorreamus a ridiculo isto multorum, sermonis inopia laborantium more, alienissima quaevis membra orationis corpori affingendi, vt in iustum illud longitudinem excrescat, non tam de ipsis publicis sepulchris quam de priuatis sermo nobis isque breuis ad lumen sequentibus accendendum instituendus videtur. Haec autem priuata sepulchra pro consilii quod qui exstruxerat illa, sequurus fuerat varietate, diuersoque cadauerum inferendorum iure, varie diuisa fuisse inuenimus. Erant enim quaedam conditoria quae cum TREKELLO ad BRISONII Select. Antiqq. Lib. 2. cap. 14. propria seu singularia recte dixeris

■ ■ ■

dixeris, quae quis sibi modo, aut sibi et coniugi, aut quibusdam tamen tandem nominatis diserte parauerat. **G R V-**
T E R V S *Inscript.* p. 990. 2. 993. 4. Quae propria sepulchra nulli alii sive cognationis ille vinculo cum eo tenetur coniunctus, sive institutionis iure ipsi succederet, nisi esset diserte nominatus patebant, quid? Quod poenarum saepe acerbitate execrationibusque diris talium sepulchrom religionem ab alienorum cadaverum tactu conditorum prouidentia fuisse munitam, probat **KIRCHMANNVS**
Lib. 3. Cap. 23.

§. IV.

A quibus distingueda diligenter ea quorum usus et aliis pateret, sepulchra, quaeque communia appellantur, quae tamen et ipsa in gentilitia, familiaria, hereditariaque distributa varioque inde iure munita videoas. Atque ut a gentilitiis quae caue ne vt plurimi cum familiaris hereditariis commisceas, incipiamus, variis in scriptoribus mentionem talium diserte iniectam deprehendimus. **S V E-**
T O N I V S quidem in **N E R O N E** *Cap. 50.* in gentilitio *Domitorum monumento Neronem conditum fuisse* refert. De **V A-**
R O autem **VELLEIVS PATERCVLVS** *Lib. 2. C. 119.* ait. *caput eius abscessum latumque ad Marabodium et ab eo missum ad Casarem, gentilitii tamen tumuli sepultura hono- ratum est.* Gentilitia autem haec sepulchra toti quidem genti communia sed ita tamen gentis etiam modo propria fuisse, vt neminem plane, nisi qui gentis eiusdem sacerorumque gentilitiorum particeps esset, inferre in ea licuerit. *ex CI-*
CERONE de Legib. Lib. 2. Cap. 22. cognoscitur, vbiait: iam tanta est religio sepulchorum ut extra sacra et gentem inferri nefas esse negent idque apud maiores nostros Torquatus in gente Popilia iudicauit Conf. Trekell. ad Brisson. loc. laud.

B 2

§. V.

§. V.

Quod autem ad familiaria attinet sepulchra, et si extraneos interdum heredes restatoris iudicio ad ea admis-
tos fuisse inuenimus, unde et illorum ius a gentilitiora
iure differt, proprie tamen ea dicebatur quae quis sibi
familiaeque exclusis extraneis heredibus parauerat. Qua-
re et additam saepe hanc formulam legimus: HOC MO-
NUMENTVM EXTEROS NON SEQVETVR. A quo-
rum sepulchrorum aditu ipsi liberti cum filii, quamvis fami-
liae appellatione continerentur, parentisque instar iis esset
patronus, tamen non inter proximos agnatos referuntur,
exclusi iure tenebantur, nisi quod quibusdam, si qui vel in
nomine patronis permanissent vel ad sepulchrum exstren-
dum aliquid contulissent, aditus a patronorum indulgentia
ad illa diserte aperiret. Vid. Gruberi Inscript. p. 592. 2.
p. 881. 9. Conf. Heinecii syntagma antiqu. Lib. 2. Tit. 1. §. 7.

§. VI.

Hereditaria deinde ab his omnibus diversa ea audi-
bant, quae aut iure hereditario acquisiverat pater familias,
aut quae quis sibi heredibusque suis erexerat hisque for-
mulis insignita reperiuntur H. M. H. S. id est HOC MO-
NUMENTVM HEREDES SEQVITVR. Atque in illa
sepulchra heredibus quibusunque, etiam extraneis, vel ex
minima parte institutis, immo et bonorum possessoribus
ac quibus libertatis conseruandae causa bona addicta fu-
sent, cadavera huiusse inferre legimus.

§. VII.

His pro consilio ratione de sepulchrorum natura diui-
sioneque ad intelligendum eorum ius disputatis, properati-
vum

dum nobis nunc est ad hanc iuris ciuilis regulam, diligenter omnino tenendam, necessario semper sequi sepulchrorum quorumvis ius suos heredes ob illud cognitionis vinculum, reliquos heredes hereditariorumque sepulchrorum ius coimitari, additionis beneficio, ac ita ex legum indulgentia quasi heredis ossibus inhaerere, ab illo ut omnino nequeat diuelli. Sic enim in leg. 5. et 6. D. de religiosis legimus: *familiaria sepulchra dicuntur quaequis sibi familiae que constituit.* Hereditaria autem, quae quis sibi heredibusque suis constituit. *Vel quod pater familias iure hereditario acquisuit.* Sed in vitroque heredibus quidem ceterisque successoribus, qualescunque fuerint, licet sepeliri et mortuum inferre, etiam si ex minima parte heredes ex testamento, vel ab intestato sint; licet non consentiant alii. Liberis autem cuiuscunque sexus vel gradus etiam filii familias et emancipatis, idem ius concessum est: siue extiterint heredes siue sepe abstineant. Exhereditatis autem nisi specialiter testator iusto odio commotus eos vetuerit, humanitatis gratia tantum sepeliri, non etiam alios praeter suam posteritatem inferre licet. Conf. 1. 4. et 13. C. de religios.

§. VIII.

Ipsi igitur heredis iuri cum implicatum teneretur sepulchrorum ius, quamvis quis testatoris lege restituere coactus fuisset hereditatem alii cuidam, tamen ipsi saluum mansit sepulchrorum ius. Sic enim PAVLVS L. 4. D. ad Sot. Trebell. restituta hereditate iura si pulchrorum apud heredem manent. Imo vero cum qui semel fuit heres adita hereditate, maneat in regula semper heres, ac nunquam amittat heredis nomen, ut vel ei, cui ut indigno post hereditatis additionem ablata fuisset hereditas, hoc sepulchrorum ius intemeratum relinqueretur imperarunt leges romanae. Audiamus VLEIANVM L. 33. D. de religios. Si quis fuit heres
B 3 deinde



deinde hereditas ablata sit ei quasi indigno magis est ut penes eum iura sepulchrorum permaneant. Conf. Gutherius de iure manuum Lib. 3. 9.

§. IX.

Quae cum constituta reperiatur iure romano de heredis sepulchrorumque iure velut regula, in iis quorum esset damnata memoria, in quorumque fato demonstrando versatur disputatio nostra insignem ab illa notare aberrationem operae profecto pretium videtur. Nam cum omnem cuperent istorum hominum quorum nequitia ausa esset ipsius societatis civilis sanctitatem violare, memoriam delere, omnemque illius instaurandae occasionem amouere aduersus ipsos eorum filiorum cineres saeuendum, ac a quiete eos in sepulchris familiaribus hereditariis fruenda arcedos adeoque, si vel mortis tempore fuissent sui heredes, cum illo iure niteretur in iis sepulchrorum ius, ipsum sui heredis ius ex ossibus eorum euellendum existimarent Romani.

§. X.

Ordinario quidem iure eum, qui semel sius heres obitu patris exticisset, non potuisse definire suum heredem esse ex multis legibus sole clarissus apparuit. Ipse extraneus heres, cum hereditatis aditio actus haberetur legitimus, factio illum semel suscepimus proprio rescindere non poterat. Quare siue heres sius abstineret siue extraneus post aditionem repudiaret hereditatem, siue restitueret siue venderet siue in iure cederet eam, manebat tamen heres, ita ut ne Praetoris quidem auctoritate, qui nec heredem nec exheredem facere poterat §. 2. *inst. de bon. poss. heredis vincu-*

vinculis laxaretur. Firmatur id in primis l. 88. D. de hered. inst. vbi dicitur eum qui semel heres extiterit non posse desinere esse heredem sed in perpetuum esse et ex l. 30. f. 1. D. de fideicommissar. libert. vbi affirmatur eum non decadere sine herede qui suum heredem habeat licet abstinentem. Vid. Ianus a Costa ad Inst. p. 343. Trekkell in appendice ad trattatum de testamenti factione.

§. XI.

Ecce autem in crimine perduellionis, quod etiam post mortem instauratur ac inchoatur, memoriaque post mortem damnatur alia omnia disposita iure ciuili inuenimus. Non modo enim bona perduellis viui scelerisque sui in vita conticiti ad fiscum trahuntur, verum etiam si adfuerit tempore mortis suus heres qui continuaret dominium, ipso ille sui heredis nomine ac iure commodisque familiae post mortem patris spoliatur. Audiamus Iustinianum f. 5. Inst. de hereditat. quae ab intefstat. Per contrarium evenit ut sit quis in familia defuncti sit mortis tempore tamen suus heres non fiat, veluti si post mortem suam pater iudicatus fuerit perduellionis reus ac per hoc memoria eius damnata fuerit. Suum enim heredem habere non potest, cum fiscus ei succedit, sed potest dici ipso quidem iure suum heredem esse, sed desinere.

§. XII.

Sed heredis iure, in filiisque suorum heredum iure tanquam fundamento cum constitutum quieteferet se pulchrorum ius, illo quod alias quemque, quamvis ipsi tanquam indigno hereditas ablata fuisset, retinuisse vidimus, illo igitur in perduellionis criminе subtracto, hoc etiam necesse-



necessario ruere debuisse, adeoque ne ullo modo talium scelestorum hominum memoriae, ipsis filiorum cadaveribus his aeternis domibus includendis consuleretur, prouidisse legumlatorum sapientiam intelligitur. Sic enim L. 1. §. 3. D. de suis et legit. heredibus. Interdum etiam filius suis heres excluditur fisco praelato, ut puta si perduellionis fuerat damnatus pater post mortem suam hor quo? (id est quam ob causam) ut nec iura sepulchrorum hic filius habeat.

CAPVT VII.

De gestis principum tyrannorum abolitis.

§. I.

Nullo profecto modo ob impressum illum altissime in animo cuiusvis sui ipsis amorem, facilius innoteant homines hominibus, diutiusque viuit ac viget in hominum animis hominum memoria, quam aut beneficiis sponte pulsoque ex animo omni remunerationis consilio aliis tribuendis, aut mutuae etiam utilitatis gratia negotiis cum aliis contrahendis passionibusque ineundis. Nam cum ab alterius cuiusdam liberalitatis fonte egregiorum emolumentorum multitudo in aliquem profluxit, vt in fruendis iis usurpet interdum benemerentis memoriam, si liberali sit ac honesto animo, pietatis sane stimulis fortissime impelletur. Cum autem mutuae obligationis vinculo sibimet inuicem obstricti quidam tenentur, commodorum suorum iacturae poenarumque saepe metu ad memoriam aliorum conseruandam, de implendaque constituta die obligatione cogitationem suscipiendam adiguntur. Quare si perduellium memoria esset extingueda plane, aut certe perpetuae infamiae nota ei inurenda, ne aut commodo-

modorum ab iis acceptorum suavitate, aut obligationum
iis praestandardarum necessitate, nutritur ista quodammodo
in animis hominum, non modo vita naturali spirituque ra-
les homines esse priuandos, imo vero, quo eo celerius ex
ciuitatis conspectu abiperentur flagitosi isti, impunitate
praemissque propositis alios etiam ad eos trucidandos esse
prouocando, b) verum et aduersus negotia ab iis gesta
velut

b) Iam apud GRAECOS, quam primum delendae talium ho-
minum memoriae causa, impune occidere licuisse tyrannos,
summosque etiam tyrranicidis habitos fuisse honores legi-
mus. SOLON quidem iam legem scriperat hanc: Qui
magistratum gerit everso reipublicae statu eum impune occidito
qui occiderit purus a caede esto eiusque bona illi cedunt. ARIS-
TOTELES Lib. 2. Cap. 7. Politic. νεροι τηναι ινικητην ελεπτην ελλας τυγαννων. QVIN-
TILIANVS Lib. VII. de lnam, commemorat Graecorum le-
gem cuius auctoritate erigeretur tyrranicidae i[n]mago in gy-
masio. Atque in ipsis templis statuas iis fuisse positas XE-
NOPHON in Hierone perhibet. CICERO autem pro Mure Cap.
28. ait Graeci homines deorum honores tribuant iis viris, qui ty-
rannos necauerint. Quae ego vidi Athenis, quae aliis in urbi-
bus Graeciae, quas res diuinias talibus institutas viris, quos cona-
tur, quae carmina! prope ad immortalitatis et religionem et me-
moriam consecrantur. Quae Graecorum vestigia preflisse et-
iam Romanos deprehendimus. Romuli lege proditores a
quocunque iure occidebantur. DIONYSIUS HALICARNAS-
SENS. Lib. 2. p. 84. Si quis eum qui tribunum plebis viola-
verat, occidisset, a caede purus erat, Idem Lib. 6. p. 470. Ita
etiam liberorum Bruti, Spurii Maelii, Caesaris, aliorum tri-
stia fata magno cum plausu probarunt Romani. De Maximini
Senatus; hostes, hostes, qui eos occiderit, praemium merebitur.

Capi-

C





velut grassari debere crudelitatem suam; irritaque ista omnia pronuncianda, praecclare intellexit legum latorum prudentia, de qua re ut nunc videamus, flagitat illa, quam tractandam suscepimus de damnata memoria materia. His autem qui ad reipublicae sedent gubernacula, cum mulco amplior pateat multis ac variis facinoribus memoriae suae stabilendiæ propagandæque campus, iis qui ad priuatum sortem depresso iacent, ac quae illi suscipiunt multo propius multorum salutem fortunamque cum attingant, quam quibus hi implicati tenentur negotia, principum etiam qui essent ob indutum tyranni animum hostes publice iudicati, quorumque memoria esset damnata, illustria gesta Romanis ante omnia videbantur rescindenda, a quibus, cum de damnanda memoriae ratione in vniuersum disputeremus, aga iam capiamus exordium.

¶ Nulla autem re magis superbire solent principes, quam legum a se latarum multitudine ac præstantia, nullumque amplius, in quo se quasi iactare possit gloria sua

Capitolinus in Maximin. Cap. 16. Atque haec interficiendorum perduellium licentia colligitur etiam ex lege 3 §. vlt. D. ad legem Corneliam, et supra laudata lege 35 de religiosis vbi filium qui patrem rempublicam delentem occiderit præmissis esse afficiendum ait MARCELLVS. TERTULLIANVS autem in APOLOG. Cap. 2. in reos maiestatis inquit et publicos hostes omnis homo miles est. Conf. egregia TYDEMANNI dissertatio de Vipio Marcelllo in Ostrich. thes. diff. belgic. et qui in illa laudantur.



theatrum sibi aperiri censem. Iam liberae reipublicae tempore quanta auditate, ut in aeternum viueret nominis sui gloria, legum ferendarum occasionem arripuerint Romani, quam saepe, ne plane ab huius laudis societate exclusi viuerent, nil nisi repetierint modo leges iam dudum latae, quanta diligentia nomina sua legibus praefixerint, totique genti suae ex legum argumento nomina indiderint, quanta denique cura ut perennaret memoria, leges aeri incisas in templis affixerint, fatis superque constat. Atque praestantissimos quosque imperatores Augustum, Hadrianum, Theodosium, Iustinianum, alios, memoriae conseruandae studio incensos, iisdem vestigiis institisse, nullumque elogium hoc legislatoris elogio ardenter exoptasse, atque vere etiam nullo alio gloriam ad diutinatem firmorem acquisuisse innenimus.

§. III.

Tanta igitur gloria ex egregiis legibus cum redundare soleat in earum autores, ac certe iis quibuscumque cum conseruetur memoria, quo deleretur principum tyrannorum nomen, ac praeterea ipsa reipublicae salus in tutto colloquaretur, ante omnia leges ab iis latae euentuae vidabantur. Ac Graecos quidem iam in actis legibusque tyrannorum tam crudelitatem exercuisse deprehendimus. Demosthenes quidem contra Themocratem, Aeschinesque contra Timarchum hanc commemorant Atheniensium legem: ὅποια ἐστὶ τῶν τριάντα τρεχόντων οὐδενὸς θύλα η δημοσιά ἀνυγα εἶναι. Quorum exemplar sequuti Romani, ab eorum qui crudeliter tractassent rempublicam, legibus imprimis rescindendi

20

dis nec illi abstinueré. Legum quidem olim regiarum, crudelias quasi signo dato a Tarquinio isto Superbo, tanto tenebatur odio populus romanus, ut si quas etiam earum, inopia legum valere pateretur, opprimendi tamen regit nominis, opprimendaque regum memoriae causa nolle ab iis legum regiarum sed morum maiorum nomine insignitis regi. Caesaris autem qui tantas struxerat libertati populi romani insidias, acta, quae iure rescindi debuissent, tandem salutis modo publicae causa suau Antonii confirmari permittebat. *Cicer ad Attic. 18.* Atque sub imperatoribus hanc legum a tyrannis latarum abrogationem perpetuo viguisse videmus. Sic Caii Caligulae *acta omnia* rescidit Claudius. *Suetonius in Claudio Cap. ii.* *Caii quoque et si acta omnia rescidit diem tamē necis quamvis exordium principatus sūt vetuit inter festos referri.* Vnde et nullam eius constitutionum in Digestis commemorata legimus. De Commodi, cuius memoria etiam damnata fuerat, quamvis deinceps vt in altera parte, cum ad memoriae restitutionem venerimus, videbimus, abisterā fuerit quodammodo haec ab illo nota, de illius igitur legibus eueris vid. *LAMPRIDIUM Commod. Cap. 18.* Constantinus autem Magnus Christianorum sacris initiatus, vt religionis honorem vindicaret, omnes antecessorum suorum contra Christianos lacas leges abolendas plane existimauit. Sic enim *SOZOMENVS Lib. 1. 8.* Κονσαντίνος εἰς μόνον ἀντὸν πάσης τῆς Ρωμαϊκῆς ἀρχῆς παιδίστης γράμματι δη μοσιῶ ἀνεργα εἴναι ἐψηφίσατο, τὰ μετὰ τῆς Θεοφυλακῆς δόξαντα ἢ πεπραγμένα ἐπὶ ταῦθεν διωξάντων τὴν εὐηληστιανήν *Conf. Iac. Gothofredus ad Cod. Theodos. Tom. 5. p. 451.* Eodem modo idem Constantinus *Leg. 1. Cod. Theod. de diuersis reperiatis Maxentii, Leg. 1. de infirmandis his* quae

quae a tyr. Licinii tyran尼 iniustas leges aboleuit, quemadmodum leg. 7. ibidem Valentinianus Maximini, leg. 10. Honorius eiusdem Maximi constitutiones euerit.

§. IV.

Etsi autem principum tyrrorum, quos deuicissent, leges constitutionesque euertere solebant principes sequentes, ne tamen sub extinguae memoriae specie ius aliorum laedere in legitimasque eorum possessiones iniuste inuolare velle viderentur, ad illas leges, in quibus modo repetitum reperiretur antiquum ius, illaque eorum rescripta, quae secundum iuris illius tenorem essent emissa, haud proferendam plerumque suam crudelitatem, ea que haud retractanda putarunt. Sic enim diferte leg. 3. Cod. Theodof. de infirmand his de Licinii legibus disponit Constantinus: *Quae tyrranus contra ius rescripsit non valere praecipimus, legitimis eius rescriptis minime impugnandis.*

§. V.

Sed non substitit intra legum a tyrrannis latarum fines principum Romanorum opprimendae tyrrorum memoriae audiitas! sed etiam cum in primis seaevis tyrrorum temporibus innocentibus multis infamiae quedam nota esset iniusta, salutique eorum vis illata, ad reliqua etiam ab iis, quid? Quod a iudicibus magistratibusque eorum hostiliter ac crudeliter gesta progressa est, usque omnibus rescissis in pristinum omnia statum reduxit. In abolenda quidem Commodo memoria urget in primis senatus apud Lampridium Cap. 19, hoc: *Vt memoriae innocentium seruentur innocentiumque ho-*

C 3

nores



nores restituantur. Sic Constantinus Magnus etiam leg. vi. Cod. Theodos. de ingenuis. ingenuos a Maxentio ty- ranno iniuste in servitatem detrusos retrahit. Sic eun- dem Constantinus Magnum, si qui fuissent Christiano- rum a Licinio Tyranno ad curialium ordinem depresso, de quorum misera conditione oneribusque duris, conf. Merillius obf. L. 8. 26. eos igitur conditioni sue re- stituisse perhibet Sozomenus l. 8. Atque idem L. 4. Cod. Theod. de infirmandis his. eos, qui essent a Licinii cru- delitate ex Senatorum ordine ad nauiculariorum sortem humilem deieci, interposito a senatu arbitrio, restitui iu- betur. Leg. autem 2. Cod. Theod. ibidem omnia etiam a iu- dicibus tyranini gesta rescinduntur.

§. VI,

Cognoscendum tamen est, quemadmodum in legibus abrogandis, ne vila ciuibis vis fieret, legitimaque eo- rum iura euerterentur, diligenter prouiderit principum aequitas, ita etiam eos in reliquis gestis rescindendis eandem plerumque commodorum ciuium iuriunque eo- rum conseruandorum rationem habuisse. Nam ea mo- do quae in iustitiae signa impressa gerent, gesta euer- tisse eos, reliqua autem, quae essent secundum juris nor- manam peracta, neque vi aut metu extorta sarta conser- vasle inuenimus. Sic enim Constantinus Magnus omnes sub Magnentio tyranno emancipationes manumissiones, paecta, transactionesque factas valere oportere in Leg. 5. Cod. Theod. de infirmandis his iubet. Atque eandem ae- quitatis speciem Legem. 8. 9. 13. ibidem, in quibus omnes spontanei actus sub tyrannis suscepiti, quorum amplissi- mus

missus catalogus in Leg. 9. texitur, confirmantur, prae se
ferre videmus.

§. VII.

Etsi autem spontaneos actus sub tyrannorum imperio
susceptos, publici comodi causa posteriorum imperato-
rum auctoritate atque iudicio, ita ut nulla requireretur
in iis iteratio, confirmatos fuisse vidimus, si tamen
ipsi, quibus auctoribus tales suscipientur actus, consu-
les, hostes reperirent ac tyranni, in spontaneis etiam
actibus iteratione opus fuisse ex legibus cognoscimus.
Certe in Leg. 13. Cod. Theod. de infirmandis his etc. manu-
missiones sub Consule Heracliano hoste illo acerrimo
factas iterari iubet Honorius, in qua lege, quoniam in-
primis ad damnatam consulum memoriam pertinet, ac
pauca quaedam doctis Gothofredi annotationibus addi-
a nobis posse videntur, paululum sermone commoran-
dum nobis esse censemus. Sic autem statuit Honorius: *Li-*
bertates quaque quoniam certum est scelere eius solennitatem
consulatus esse pollutam, in melius renocamus, sciatque do-
minorum voluntas, iterandum esset quod illo auctore aduertit
flare non posse. Semel tamen mutatae conditionis beneficium
impendum esse praecipimus, et ita repeti manumissionum
confuetudines nunc iubemus, ut nullus sub hac occasione in-
cipiat nolle quod voluit. Ac primo animadvertisendum est,
notante id etiam Gothofredo ad hanc legem, solennita-
tem consulatus dici solennia manumissionum a consuli-
bus statim magistratum ineuntibus celebrata, quoniam ad
renouandam manumissionis illsus a Bruto factae memo-
riam, semper, etiam sequiore aerate initio magistratus ma-
numissiones expedire solebant consules, yti ex Claudio

Con-

■ ■ ■

Consul. 4. Honor. v. 613. Sydonio Carm. 2. ad Anthim. v. 545. Cassiodoro Var. 6. 1. Libanio in fine orat. ad Iulianum demonstrat Peter Faber Senefr. 1. p. 194. et Comment. ad Tit. de orig. iuris atque ex eo Heinecius Synt. Antiquit. Lib. 1. Tit. 4. Hanc autem sub consule Heracliano celebratam manumissionis solennitatem iterandam hac in lege praecipit Honorius. Ac saepe quidemna actibus sacris profanisque, ut sustinerentur illi, iteratione opus fuisse multis ex scriptorum locis patet. Sic sacra saepe instaurata fuisse inuenimus, si polluta essent, ut cum Clodius sacra bonaee deae polluisset Cicer. ad Att. Epist. 10. Sic latinae feriae coorta tempestate Liu. Lib. 40. atque etiam aliquando, quod legati ab Ardea queffi essent sibi in monte albano carnem non datam esse Liu. lib. 32-37. instauranda erant. Ludi etiam ab laetitia ad metum traducti renouabantur. Cicero de aruspic. resp. Conf. Gutherius de iure pont. Lib. 3. cap. ult. Atque in ipsis manumissionibus, ut ad has veniamus, iteratio saepe euenire solebat. Si quis enim exempli gratia aliquem modo minus solenni, velut inter amicos aut per epistolam manumissionet, atque deinceps ad ciuitatis plena iura adspirare cuperet libertum, saepe deinceps adhuc per vindictae solennitatem manumissionem confirmandam curabat. Vid. Plin. Epist. Lib. 7. 16. Conf. Heinecius Antiq. p. 107. Locum vero Ammiani Marcellini Lib. 22. Cap. 7. Gothofredus infeliciter plane emendavit, ut manumissionis ex eo iterationem probaret. Deinde Mamertino ludos edente Circenses, manumittendis ex more induitis per admissionum proximum, ipse lege agi dixerat ut solebat (is scilicet penes quem iurisdictio erat iubebat lege agi) statimque admonitus eo die ad alterum per-

pertinere iurisdictionem ut errato obnoxium decem libris au-
 ri se ipse multauit, quibus ultimis verbis, a Valesio sic
 restitutis, egregieque Augustini loco Lib. I. de sermone do-
 mini in monte legibusque Codicis quibus mulctarum sibi
 dictarum exempla commemorantur, confirmatis, infeli-
 citer plane, ut manumissicnis iterationem ostenderet,
 substituit Gothofredus haec: ut iterato obnoxium decem-
 viris errorem et ipse mutauit. Sed ut ad ipsum legis
 nostrae argumentum redeamus, iterari igitur vult manu-
 missiones sub Heracliano factas, quasi scelere eius pol-
 lutas, Honorius, quamvis, ne quis inciperet nolle quod
 voluisset, adeoque dominorum crudelitate ad miseram
 seruorum retraherentur conditionem manumissi, manu-
 missiones ipsas saluas esse idem iubeat. Ex qua lege
 igitur ipsos etiam spontaneos actus, qui sine iteratio-
 ne sustinerentur sub tyrannis illis quidem, sed non confu-
 lis iis celebrati, illos igitur iniustis consulibus suscep-
 ptos sine tali haud validos fuisse colligitur.

§. VIII.

Quoniam autem honorum dignitatumque quas ge-
 rimus amplitudo, illorum qui largiti illas nobis sunt,
 vel maxime in nobis excitare solet memoriam, ac ipso-
 rum, quibus perfruimur, commodorum vbertate de
 praeconis illorum suscipiendis admonemur, inprimis
 aduersus socios tyrannorum, eosque qui essent ab iis
 ad honorum fastigium euecti, praefertim cum ii ipsi
 eadem plerumque a tyrannis labe infecti infestum re-
 publicae tranquillitati animum gererent, ira sese vertit
 Romanorum ac quo vna cum honoribus deponerent et

D

iam



iam tyrannorum memoriam, aut nocendi certe occasio-
nem amitterent, honoribus istis eos exuendos censuit.
Quanto indignationis ardore Commodi atque Maximin-
orum socios amicosque prosequuti fuerint Romani ex
Capitolino in vitiis eorum elucet, quos adeo cuperent
quemadmodum antesignanos eorum a quo quis occidi.
Atque sequiore aetate in primis Theodosii Magni tem-
pore, iis qui honores a tyrannis acceptos gessissent, si
non vitae periculum minitatum, certe infamiae notam
interdum inustam fuisse *Lex. 11. 12. Cod. Theod.* de infir-
mandis his, docet. Sed commune tamen ius fuisse
hoc, ut sine infamiae nota modo acceptos a tyrannis
honores perderent, pristinumque quem antea tenuissent
locum, recuperarent ex iisdem legibus appareret. Sic
etiam *Leg. 6.* ibidem de Maximi magistratibus disponit
Valentinianus: Nullus sibi honorem audeat vindicare quem
tyrannica concessit audacia sed ad pristinum statum damnata
praesumptio reuocetur, et *L. 8.* ibidem: Codicillos ac
epistolas reddere iubentur, vtque eorum sententia au-
feratur ex publicorum monumentorum scriniis impera-
tur,

§. IX.

Commemorandum tamen imprimis hoc loco vi-
detur, cum superiore in scriptione de erasis consulum
qui ipsi tyrannorum personam gessissent, nominibus ex
omnibus publicis priuatisque monumentis dixerimus,^{c)}
ita

c) Praeter exempla consulum tyrannorum, ex fastis erasorum, superiori in dissertatione Cap. II. commemorata, haec



ita aduersus tyrannos eorumque memoriam saeuissime Romanos, ut etiam consulium ab iis constitutorum nomina ex fastis actisque abolenda atque tempus quasi non adfuerint illi, numerandum curarent. De consularibus ab ^{d)} Eugenio tyranno creatis, quos Arbogastem

D 2

ac

haec sere adhuc postea maxime memoranda exempla legationis nobis suggestis varietas, quae in hanc notam coniiciamus. Apud Gruterum p. 1087. inuenimus Tib. Caes. Aug. V. consulem non addito Seiani nomine. Apud eundem p. 113 solum Cn. Domitium Ahenobarbum legimus quod eius collega Marcus Furius Camillus Scribonianus esset damnatus. Sic et Quintilius fratres, qui vel propterea commemorandi sunt, quoniam id quod et in aliis factum esse supra Cap. 4. probauimus, domus eorum extincta est, sed illi ne nominarentur cauebatur. Imperante Commodo A. C. 180. Praesens II. et Candianus consules erant sed solum Praesentem commemorat Lampridius in Commodo Cap. II. Candiano omisso quoniam esset eius memoria extincta. Anno 188. quamvis Fuscianus et Silianus consulatum gesserint, Lampridius tamen in Commodo Cap. 12. solum Fuscianus commemorat nulla Silani mentione facta. Sic et sequiore tempore sub Theodosii iunioris imperio Castini consulis nomen erasum fuisse deprehendimus. Ceterum notandum est a Graecis omnem hanc eradicandi nominis confuetudinem fluxisse, qui, cum Archontes ab auctoritate in regnando deficiuerint, omisssis eorum nominibus scriberent Areopagia. Conf. Ruptus ad enchir. Pomp. Cap. II. Petri Relandi praefatio ad fastos consulares. Eckhardi Hermeneutica iuris p. 173.

d) Illius Eugenii caput conto defixum per castra fuisse ignominiae causa circumlatum, refert Zosimus Lib. 4. C. 58. quem-



ac Nicomachum Flauianum fuisse, narrat Symmachus Lib. 2. epiph. 83. et 84. disponit hunc in modum Honorius Leg. 9. Cod. Theodos. de infirmandis his, Funestorum tantum consulum nomina iubemus abolere, ita ut his reverentia ⁹⁾ in lectione tantum tribuatur qui tunc in oriente annuos magistratus vieturis perpetuo sunt fascibus auspiciati. Tempus vero ipsum ac si non fuerit aestimetur, si quidem tunc temporis omessa aliqua praescriptio taciturnitatis etiam de illis quae confirmavimus non possit opponi. Quod ultimum etiam propterea ut omnis scaeuorum istorum temporum recordatio euelleretur plane ex animis, constitutum videretur conf. Jacob Gothofred. ad h. l.

CAPVT VIII.

De actis perduellium rescissis.

§. I.

Sed deducamus iam de principum fastigio illustribus que eorum gestis orationem ad inferiorem priuatorum sortem actorumque ab ipsis exilitatem, ac quomodo

quemadmodum iam olim Maximinorum capita contis praefixa Aquileiensibus demonstrata fuisse perhibet Capitonus in Max. Cap. 23. Quod contumeliae in cadaver exercitae post mortem genus, reliquis in dissertatione prima Cap. V, aceruatis adiiciendum videbatur.

e) Reverentia consulibus in nominibus eorum recitandis in primis acclamationibus exhibita fuisse videtur, de quibus, vt

modo istis euertendis, etiam post mortem delendam cu-
rauerint ex animis memoriam perduellum leges Romanæ
demonstremus. Inter varia vero quæ suscepérunt Ro-
mani negotia, nullum fere magis ad memoriam eoram
posteritati prodendam laudesque eorum longe lateque
disseminandas spectare videbatur quam seruorum manu-
missiones. Hoc enim potissimum consilio seruitutis iu-
go liberatos dimittebant homines, ut liberalitatis suæ
benignitatisque fama spargeretur ubique, vtque non
modo viuos se quacumque incederent, sed etiam dum
efferrentur, mortuos pileatorum pœnae adeo
laudum suarum ingens sequeretur cetera. Conf. *Trotz*
de memoria propagata p. 363. Quare ne inaestimabilis
illius boni libertatis cogitatio perduellum memoriam
in libertorum animis aleret, ad benignitatemque eorum
ac de sua fortuna merita efferenda fortissimis eos si-
mulis impelleret, ante omnia a manumissionibus illos
arcendos inde ab illo tempore ex quo crimen contraxis-
sent quid? Quod si post mortem detectum fuisset crimen,
datas ab iis libertates post mortem rescindendas esse intel-
lexerunt Romani. Etsi enim omnes omnino serui poenae
criminumque capitalium rei a manumittendi facultate Se-
natus auctoritate prohibebantur, immo vero, id quod iam
singulare plane videtur, ab eo qui prospexit futurum, ut
damnaretur Lege Cornelia, datas libertates, valere haud
oportere D. Pius Calpurnio rescripsit, L. 8. §. 1. et 2, D. de

D 3

manu-

vt et de acclamationibus imperatoribus a senatoribus ad
adulandum proiectis sacerdotiis, praeter Iacobum Gothofredum
ad dictam legem conf. in primis Ferrarius de acclamationibus.



manumissionibus, longius tamen in crimen perduellionis progressi sunt Romani, atque si quis eius conuictus damnatusque tandem fuisset post mortem, libertates ab ipso datas eum post mortem rescederunt. Ac Seuerum quidem Antoninumque Imperatores primos id constituisse ex Leg. 8. Cod. ad Leg. Iul. Mai. elucent. Quare et iudicium Leg. 2. Cod. de test. manumiss. rescripserunt: ex testamento defundi libertates praefari non possunt hereditate non adita, vel si rei memoria propter crimen quod morte non intercidit damnata est. Audiamus etiam Paulum Leg. 15. D. qui et a quibus manumiss. Quae sit est, an is, qui maiestatis criminis reus factus est, manumittere posset quoniam ante damnationem dominus est? et imperator Antoninus Calpurnio Critoni rescripsit, ex eo tempore, quo quis propter facinorum cogitationem iam de poena sua certus esse poterat, multo prius conscientia delictorum quam damnatione, ius datae libertatis eum amississe.

Sed et reliqua grauiora quae isti homines suscepissent negotia, queque de rebus suis disposuerunt omnia, evellendae post mortem eorum memoriae causa rescissa fuisse inuenimus. Sic enim eorum testamenta iis iam mortuis irrita facta fuisse Lex. 6. §. II. D. de iniusto rupto irrito testamento docet. Sed ne eorum quidem testamentata sunt sed irrita sicut quorum memoria post mortem damnata est ut puta ex causa maiestatis vel alia tali causa. Quid? Quod si legata iam ex tali testamento soluta fuissent, hec in percipiendis legitorum fructibus dulcis defuncti imago obuersaretur animis legatariorum, soluta

31

luta etiam iam legata singulari plane iure repeti potuisse ex
Leg. 76. D. de legat. II. apparet: repetendorum legatorum
facultas ex eo testamento solutorum danda est, quod irritum de-
esse post fundi memoriam damnatam apparuit, modo si a legatis
solutis crimen perduellionis illatum est.

§. III.

Atque eodem modo delendae illorum hominum
memoriae causa etiam donationes eorum mortis causas alii
concessae immo vero omnes quaecunque vxoribus ab iis
factae donationes post obitum legum auctoritate reuoca-
bantur. Sic enim in Leg. 32. §. 7. D. de donat. inter
Virum et vxorem legimus. Si maritus vxori donauerit,
et mortem sibi ob sceleris conscientiam consciuerit, vel etiam
post mortem memoria eius damnata sit, reuocabitur donatio,
quamvis ea quae alii donauerit valeant, si non mortis cau-
sa donauit, atque in Leg. 31. §. 4. de donat. Ratae do-
nationes esse non possunt post crimen perduellionis contra-
dictum, quum heredem quoque teneat, et nondum postulatus
vita decesserit. Conf. Leg. 5. §. 4. Cod. ad Leg. Iul. Mai.

§. IV.

In primis tamen haec Seueri Antoniniique ac Anto-
nini Caracallae sanctiones, quibus perduellibus sta-
tim inde a contracti criminis tempore alienandi ius
ademerunt imperatores, debitoresque a soluendis illis
debitis retinuerunt, quibusque adeo alienationes so-
lutionesque iis viuis factas post mortem quoque re-
scindendas decreuerunt, diligenter hoc loco notari me-
gentur,



rentur, cum a iuris norma plane abhorrere, iniquitasque insuper quadam nota laborare videantur. In reliquis quidem criminibus ante damnationem quemuis retinere rerum suarum dominium, facultatemque ad eo pro suo arbitrio illo sese abdicandi, atque ne necessario interim sumtu egeat, debitores etiam ad soluenda sibi debita compellendi, omnes leges euincunt. Sic enim Papinianus L. 41. D. de solutionibus: *Reo criminis postulato interim nihil prohibet recte pecuniam a debitoribus solui.* Alioquin plerique innocentium necessario sumtu egebunt et in Leg. 4. §. 6. de iure fisci haec invenimus: *In reatu constitutus bona sua administrare potest eiusque debitor recte bona fide soluit.* Sed in crimen perduellionis abolendae memoriae causa ab hac aequitate desciuerunt imperatores illi nominati antea, firmiterque sese omnium a perduelli, inde a consilio captro, negotiorum gestorum iustitiae opposuerunt. Haec enim in Leg. 8. Cod. ad Leg. Iul. Mai. legimus: *Sic et D. Seuerus et Antoninus constituerunt, ex quo quis tale crimen contraxit neque alienare neque manumittere eum posset; nec ei soluere iure debitorem magnus etiam Antoninus rescripsit.*

§. V.

Age vero in extrema adhuc hac scriptio ex ipsarum harum constitutionum imperatoriis, quae ad ipsum eius, quod quis contra reipublicae salutem cepit sclesti consilii initium respiciendum esse, praeteraque post mortem instaurandum, immo et inchoandum hoc perduellionis crimen, damnandamque memoriam post mortem communis salutis causa sanxerunt, ex illarum



rum igitur angustiis orationem educamus, ad coloremque
quem illinendum iis putarunt I. Consulti temporibus impe-
ratorum viuentes, traducamus, praesertim cum nullum scri-
ptorem praeter vnum forte *Gundlingum in singularibus ad*
Leg. Iul. Maiestatis, neque illum satis ad hunc nostrum fi-
nem accommodate hac in re versatum deprehenderimus.
Proprie quidem morte ipsa ita extingui crimina, vt qui na-
turae, legibus etiam satisfecerit, neque in illis post mortem
indagandis continuare posse, multo minus incipere iudicium
solertia, ac que ante damnationem in reatu facta sunt, ir-
rita pronuntiare satis constat. Quo autem a perduellionis
criminis atrocitate homines absterrent legumlatores, pu-
blici commodi cauſa, ac propterea forte, ne mortis volun-
tariae beneficio aut accusatorum tela omnino subterfugere
isti homines, aut si iis iam percussi tenerentur, tamen adhuc
et iudicium manibus euolare, omnemque poenae acerbitate-
tem euitare se posse confiderent, alia omnia in hoc crimen
constituerunt D. Marcus, ille alias erga criminis maiestatis
reos mitissimus princeps, ac illum deinceps sequuti, ali-
quotum erga illos seviores imperatores Seuerus, Antoni-
nus, atque Caracalla. Ac Marcianus quidem hanc annexit
his eorum functionibus cauſam: talem hominem mente sua
videri punitum ex quo scelestissimum consilium ceperit.
Ut autem a cauſa negotiorum inde a consilio perduellionis
criminis capto rescissorum, incipiamus statim, ad ipsam qui-
dem in criminibus voluntatem spectasse Stoicorum philo-
sophorum rigorem ex fragmentorum illorum reliquiis fa-
cile intelligitur. Sic *Senec. VII. omnia sceleris*, inquit, etiam ante
effectum operis quantum culpae satis perfecta sunt. Sed quem-
admodum omnino ab omnibus stoicorum laticibus in iu-
risprudentiae fundum deriuandis abhorruere I. Consulti,
sic etiam ab illius opinionis rigore in aestimandis criminibus

E

receſ-



recessit eorum prudentia aequitasque, atque non voluntatem in criminibus sed exitum spectandum esse censuit, ut contra Cuiacum recte demonstrat *Byuckershoek Obs. Lib. 3. Cap. 10.* In quibusdam tamen criminibus atrocibus inter quae et perduellionis crimen erat, ob ipsam eorum atrocitatem ad huius Stoicorum opinionis rationem accommodandum esse suum iudicium, voluntatemque ipsam, si modo non suis illa terminis contenta fuisset, sed signis se externis spectandam iam praebuisset esse puniendam opinati sunt. **I. Consulti.**

Coepit autem iam ante mortem indagationem criminis, post mortem etiam continuari, mortuumque tanquam absentem damnari posse, vel propterea non plane videbatur singulare ac insolens, quoniam vel antiquissima aetate in criminibus contra rem publicam commissis ex speciali Senatus Consulto vel Plebiscito salutis publicae causa contra regulam absentes etiam iam poterant damnari *Conf. Deuz ad Leg. 33. §. 2. D. de procuratoribus in Oelrich Thes. Diff. Belg.* Quare ut aduersus manes tandem perduellis suam sententia vim exereret, recte neque insolenter videbantur sanxisse Imperatores.

§. VII.

Sed haec imperatorum constitutio, ut etiam hoc crimen post mortem omnino inchoaretur, tanquam plane singularis, erat omnino quodam colore illinenda. Atque hunc repetierunt Idi ex eadem Stoicorum sapientia, qui, ex quo quis crimen contraxisset, sua se iam illum sententia condemnasse, ac de se ipsum statuisse^{f)} iusque dixisse putabant. *Seneca*

^{f)} *De se iudicare de se statuere* saepe in libris etiam nostris occurrit, vid. *Leg. 4. D. de confessis Leg. 3. D. de bonis eorum* *adimicere* et *admissere* et *ex omni singulari multitudine* *qui*

quidem epist. 98. ait, *Tuta scelera esse, secura non possunt. Quare? quia prima illa et maxima poena peccantium est poena peccasse, nec ullum scelus sicut illud fortuna excornet muneribus suis, sicut tunc ac vindicet impunitum est; quoniam sceleris in scelere supplicium est Conf. Gundling. Sing. ad Leg. Iut. Maiestatis Cap. I. §. 37.*

§. VIII.

Quoniam igitur perduellis statim ex quo contraxit crimen, de se statuit, ac sua se sententia condemnavit, suoque scelere punitus est, non modo statim ab illo tempore a negotiis valide suscipiendis arcendum eum, praetereaque totum omnino criminem, si morte ille euolasset indagationis continuationem ac poenam, post mortem instaurandum, sed etiam inchoandum illud plane, atque nisi liberi propinquique, advocates ad perduellem defendendum, innocentiam eius possint probare, eum tanquam coniuctum esse damnandum post mortem, praeceperunt Imperatores Romani. Cum autem quisque ac imprimis ii, qui ad turbas contra totam reipublicae unionem excitandas duces existunt atque antesignani, ardentissima quasi vrantur honoris acquirendi eiusque post mortem conseruandi libidine, a criminis perduellionis scelere nullo modo se fortius abstergere posse homines putarent, quam si hoc, quo descripsimus modo, nomine cuerendo, status detrahendis, dominibus diruendis, luctu ac sepultura deneganda, ipsis filiis a sepulchris plane omnibus ar-

E 2

cen-

qui ante sententiam Iustinianus Nouell. 53, fugientem reum sui ipsius accusatore appellat. In primis tamen ii qui mortem sibi conscienter, dicuntur se sententia sua vel absoluisse vel condemnasse. Tacitus Lib. 6. 29. Seneca de consolatione Cap. 22. Conf. Radulphus Fornerius rer. quodit. Lib. 6, c. 21,



cendis, immo vero iis quae viui gestissent perduelles, post mortem adhuc rescidendis, extinturos se illorum memoriam, aut certe invisam illam ingratamque seris posteris reddituros, hacque illos iam mortuos poena affecturos esse minarentur.

§. IX.

Caeterum hoc imperatorum Iureconsultorumque in porticu educatorum principium, Canonici etiam Germanicique iuris auctoribus placuisse, atque illos, quemadmodum reliquos fere damnandae memoriae modos retinuisse eos probauimus, ita etiam a negotiis valide suscipiendis, inde a cogitati criminis puncto prohibuisse perduelles, immo vero negotia ab iis gesta post mortem evertisse cognoscimus. Audiamus Bonifacium in Cap. V. de poenitentia. Sit intestabilis nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad alicuius bona ex testamento vel ab intestato vocetur, quatenus ab omni successione repulsus publica repulsa confusus minus inueniat malitiae suae successorem. Nullus ei debita reddere, nullus respondere in iudicio teneatur. Aureae autem Bullae auctor Tit. 29. §. 5. 7. et. 8. Iuris civilis quas com memorauimus, de rescindendis perduellium negotiis factiones, iisdem fere verbis repetit. Sic enim ait: Porro ex quo quis tale crimen contraxit, neque alienare neque manumittere statuimus. Emancipationes quoque quae a praediis, sive in filios post legem duntaxat latam sive in filias fuerint collatae non valeant. Dotes donationes postremo alienationes, quas ex eo tempore qualibet fraude vel iure factas esse constituerit quo primo memorati de ineunda factione ac so cietate cogitauerint, nullius statuimus esse momenti.

§. X.



§. X.

Sed illorum tamen iurum vestigia ita deserere solet
recentioris aetatis aequitas, ut euentidis perduellum ne-
gotiis, ne eorum, qui bona cum iis fidei contraxerunt, in-
nocentiae vis inferatur, patrimoniumque eorum legitime
acceptum temere diminuat, sapienter illa prouideat. Vid,
*Ludwigii Comment. ad Aur. Bull. l. I. Carpon. Pract.
Crim. L. I.c. 4.*

Atque hic iam subsistamus hoc tempore, si tanti visum
fuerit viris doctis, reliquum viae spatium alias alio-
que in comitatu emensuri.

P. 13. l. 4. hereditariorumque del. que.



E P I M E T P A.

- 1) Apostolus *Paulus* in Epistola ad *Ephesios* 4, 22 segg. non respexit videtur ad manumissos veterum et ius ciuile Romanorum. Vid. *Vonck obf. misse. Cap. 3.*
- 2) Veteres Romani ab omni diuersarum religionum odio, quantum pataretur reipublicae salus, alienissimi repiebantur. vid. *Bynchershoek de religione peregrina et S. V. Walchii hac de re commentatio in comment. acad. Gottingensis.*
- 3) Etiam inter verbis coniunctos locum habere videtur ius ad crescendi.
- 4) Querela inofficiosi plane moribus adscribenda.
- 5) Multi probabiliter sene contra ianatum boni malique sensum disputant,



NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DEFENSORI

S. D.

P R A E S E S

Si aut multis ego verbis ingenii **TUI**, **VIR** **DOCTISSIME**, felicitatem doctrinaeque copiam laudare, aut quantae laudi mibi ducam **TUVAM** in defendendo tenui hoc libello societatem copiose eloqui instituam, ne per talen occasionem centies decantata minusque adeo **TUBI** grata futura profaram, verendum videatur. Atque in litteris his ad **TE** mittendis, talibus verborum lenociniis, a quibus animi **TUI** modestiam vehementer abhorrende scio, et iam aliorum lectorum causis facile me posse superseedere vehementer laetor. Tam luculentis enim se iam signis per variarum occasionum opportunitatem ostendit virtus **TUA**, et tam illustris iam est atque peruagata eius fama, ut ad optimam quaevis **TE** quasi graffari vix unum nostrum fugiat. Viri autem tam egregia virtute conspicui comitatu nisi ego quasi exultem, in iustam omnium incurram reprehensionem. Gratulor igitur potius omissis talibus omnibus, **TUBI**, matrice **TUVAE** splendidissimae, hanc animi egre.

egregiam indolem, TEque vehementer obsecro atque
obtestor, ab hoc verae gloriae tramite nullis ut neque
laboris molestiis absterreri, neque voluptatum blandi-
mentis auocari TE patiaris. Vti vero mea erga
TE voluntas nulla unquam temporum rerumque vi-
cissitudine minuetur; sic TE vicissim TVAM mi-
hi benevolentiam perpetuam esse seruaturum confidere
me iubet cognita animi TVI integritas. Scripsi
Lipsiae d. XVI Sept. MDCCCLXXVI.



Leipzig, Diss., 1764-2

ULB Halle
007 411 979

3



vdp

TA-OC



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Farbkarte #13

Green

Cyan

Blue

Centimetres

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Ad. 1032.

1776, 52.

DE

DAMNATA MEMORIA

DISSE^TRAT^O SECVNDA

QVAM

CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM COLLEGII

PRAE^SIDE

CHRISTOPHORO FRIDERICO

W O L L E

LEGVM AC PHILOSOPHIAE DOCTORE

A. D. XIX. SEPT. MDCCCLXXVI,

IN AVDITORIO ICTORVM

DEFENDET

CHRISTIANVS LUDOVICVS STIEGLITZ

LIPSIENSIS

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA

